



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Anno Episc. 4. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

sponsam etiam castitati , potentissimis verbis coëgit. Exinde cum Romam profectus fuisset, qui casam Divi exusserunt hostes , malè omnes perierunt, & id ipsum Pontifici, cùm fieret, Romę **GALGANVS** narravit. Redux deinde ad beatam missionem illis verbis à D E O vocatus est: *Satis est quod laborasti ; metes nunc quod seminasti. Quin igitur & tu laboras , nec parcā manu recte facta seminas ? Ibi certe falcem suam in alienam messem nemini licebit mittere.* Ex Ferrar.

Laqueus est mundus , qui voluptatibus & opibus, velut escis, objectis, allicit atque capit incertos, & secum trahit in nassam interitus. Vnde vix possibile videtur, ut, qui mundi legibus vivit , immaculatus hinc emigret. Hugo Philonius de Scient. bene mor.

S. ANNO EPISC. 4. Decembri.

ANNONEM à puerō pater suis , hoc est militibus, studiis imbuit. Abhinc avunculo auctore à Marte ad Musas honestissimā defectione, transivit. Jam Musæ commendarunt Henrico III. Imp. qui eum inter Palatinos suos adlectum mox infulâ Colonensi donavit. Hâc ornatus ad concionem numquam sine lacrimis auditus est; quod suis ille signum veluti omnium singultibus daret. Divitiis cum affueret, sàpè tamen nec obulum ipse , omnia pauperes habebant , quos ille velut thesauros suos (& erant) secum circumducebat, pater idem horum, & mater pupillorum. Ædes xenodochii unas , monasteriorum condidit & amplissimè dotavit quinque, non morituras filias. Libertatis Ecclesiasticæ egregius propugnator insulam nulli, neque adeò, a quo eam acceperat, **Cesari** submittebat, juris quam vitæ appetentior.

Sed

Sed nec urbe pulsus à civibus suis animū despondit. Quòd tamen redux alieniorem ab his animum ferret, visus est sibi noctu, cùm inter Divorum Episcoporū comitia locum vellet capeſſere, aditu prohiberi, quòd in veste cetera candidissimā unicam maculam præ pectore gestaret, quam tamen ipsam mox una cum injuriæ memoriâ ex animo delevit. Mortuus est anno M. lxxv. cùm se MARIAE unicè ac ſæpiùs commendasset. Cælum tempe ſubiturus januam hujus pulsabat. Ex Surio.

Tamdiu quisque peccata ſua ignorat, quamdiu curiosè aliena conſiderat: qui ſemetipſum aſpicit, non querit in quo alios frequenter reprehendat, ſed in ſemetiſo, quod lugeat. S. Bern.l.de Inter.domo.

S. BARBARA V. & M. 4. Decembris.

Nullius tam à vitâ nomen abluſit, quām BARBARÆ. Dioscorum habuit parentē Deorum mancipium, ipſa D̄eo addicta. Matura, ob formam, turri incluſa, libertate Christianâ, ſi umquam, eſt uſa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut fidei radii ſplendiū animis illucerent, binis fenestris tertiam ſuperaddidit, balneum verò multâ cruce inſignivit, gnara qui mentibus lavandis ex hâc fontes ſcaturirent. Intereà cum ſtomacho Dioscorus intelligit, filiam Christianam eſſe, & ferro inſequitur. Sed ſinum, quo parens expulerat, mons præbuīt diſclusus. Et lubens theſaurum hic occultaſſet, nî, qui miraculum viderat, innocentem oviculam paſtor nequam prodiſſet. Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tribunal pater rapit, cædi virgis viſcera ſua videt, ſanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera etiam caſtiſſimæ abſcindi, non facturus, ſi bibiſſet ubera.